66 Sic Madia superata, recepta Sibilia,
Iam Pisani gloriosi intrarunt navilia;
Destruxerunt pretiosa passim edificia,
Cuncta simul reportantes, cum parvis eximia.

Captivorum persolverunt plus ad centum milia,
Quos recepit Romania iam ex longo misera.
Saracenos et captivos ducunt sine numero,
Cuod[a] est totum tuum donum, Iesu, sine dubio.

Ecce iterum Ebrei Egyptum expoliant,
Et confuso Pharaone iterum conciubilant.
Transecunt in mari magno, ut terra sicissima
Moyses educit aquas de petra durissima.

Nam ut veniunt ad terras quasdam maris insulas,
Ubi nullus vidit aquam ad potandum limpidas,
Fit hoc visu et audito nimis admirabile:
Terra parum circumfossa potant aquam largiter.

Sunt reversi gloriosi virtute mirabili,
Et quo durat iste mundus honore laudabili.
Sancto Sixto consecrarunt per pulchram ecclesiam,
Et per orbem universum sanctis mandant premia.

Set tibi regina celi, stella maris inclita,
Donant cuncta pretiosa et cuncta eximia;
Unde tua in eternum splendebit ecclesia
Auro, gemmis et margaritis et palliis splendida.

72 Clerici, qui remanserunt pro tuo servitio,
Donaverunt partes duo[a] communi consilio.
Sic volebas tu regina; sic rogasti filium,
Cuius illis prebuisti in cunctis auxilium.

a) qui cod.

a) du cod